INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITERARUM JAGIELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXIV.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXV.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE
TYPIS ACADEMICIS.

Civibus Litterarum Studiosis

S. P.

Universitatis Litterarum Jagiellonicae Cracoviensis Rector

Valentinus Litwiński

Cum Senatu Academico.

— — *Nil sine magno*
Vita labore dedit mortalibus.

Horat.

Vehementer illi errant, qui eruditionis fontes brevi opera et levi litterarum delibatione exhaurire cupiunt, vel rudes et immorigeri ad castos et puros Musarum latices accedere volunt. Lente enim festinandum, nunquam autem ad eruditionis fastigia immaturo consilio properandum est, quia eruditio aeque, ac in sacris Minervae Eleusiniae observatum fuit, profanum vulgus odit et arcet, nec summis et infimis alia ad cognitionem scientiarum via patet, quam illa, qua non nisi cum assidua diligentia et summa constantia incedendum est, sine quibus nemo certe vel felicissimus in ulla disciplina quidquam assecutus est. Etenim virtus, etiamsi quosdam impetus a natura sumit, tamen perficienda est doctrinâ (Quintil. XII. c. 21.) quamobrem notissimi sunt scopuli, ad quos non paucorum ingenia naufragium passa fuerunt, dum vel nimis sibi fidendo homines novas vias excogitare, vel aliorum prudentiam contemnendo soli sibi sapere conati sint. Attamen in his quoque non raro, ut sive vires defecerint, sive secundae fortunae vela data defuerint, laudanda erat voluntas, sed nemo ignavia immortalis factus est, licet beatissimo forte sortis felicissimae aura adspiraverit, quia serius ocyus quid humeri valuerint, quid ferre recusaverint, liquido adparuit. Vos, Cives Academici, qui morum probitate, indefessa industria et assidua diligentia animos ad studia aptos ostendistis, Vos certe a recto in disciplinis tramite non decedetis, nam virtus Vestra in tantis calamitatum domesticarum procellis probata spopondit pro Vobis: studia Vestra nec inutilia nec ingloria fore. Idem etiam de novis adve-

nis sperare nobis licet, quum Clementissimis Invictissimi ALEXANDRI Omnium Russiarum Imperatoris auspiciis, promissa benignissime celeberrimae Universitati nostrae tutela, novam litterarum studiis felicitatem augurari jussi simus. Sciat hoc universus terrarum orbis cum summa a nobis gratiarum actione Numini Supremo facta, nec Vos ignoretis, quantum alacritatis illa divina Augusti Herois clementia Vobis et nobis addere debeat, ita ut nunc vere dicere possimus: et nobis tandem post nubila Phoebum illuxisse. Quodsi ergo jam et antea morum honestate et assiduo labore Vos non indignos Academiae cives declaravistis, nunc eo magis ad id incumbite, ut Vestrae diligentiae factis et dictis pretium faciatis. Non opinamur inter Vos esse quemquam, qui ita sit inconsideratus, ut cujus disciplinae mercedem paratam extemplo non videat, eam vilipendat et improbet, nam qui statim e studiis juvenes mercedem laboris sibi deposcunt, iis isti similes esse videntur, qui ante autumnum metere vel cum floribus simul fructus decerpere satagunt. Non autem annuo spatio litterarum fructus maturescunt, sed qui juvenilem aetatem exigunt et alunt, virili demum aevo fruges opimas reddunt. Nolite igitur hac laboris diuturnitate deterreri, sed ut Vos nomine Polono dignos praebeatis, quo majora, quae ex antiquioribus patriae malis restant, impedimenta cernitis, eo magis animum advertite et id allaborate, ut eorum clamores, qui altiora studia inutilia nefariam vociferati sint, Vestra laude ad obmutescendum cogatis. Quis enim est ille, qui humanae scientiae modum tam arctis finibus concludere valeat, ut quid utile et quid inutile sit, ac si e Pythiae tripode falsus vates pro suae sapientiae qualicunque modulo definire praesumat? Abest hoc ab humanitate Gentis nostrae et ab iis, quos fortuna curis reipublicae litterariae apud nos praefecit, sed quum ars non habeat osorem nisi ignorantem, nolite ejusmodi vocibus a dulci vitae instituto amoveri, sed cogitate: eo faciliorem pandi Vobis viam, quo altius in studiis profeceritis, quibuscum, ut hucusque fecistis, quod summa cum voluptate experti sumus, semper sacrosancte morum castitatem conjunctam habuistis.

ORDO THEOLOGORUM.

Dum in Universitate literaria Cracoviensi ad Facultatem sacram theologicam antiquitus in hoc studio solennem Profeſsores Theologiae designati nondum ab instauratione Universitatis introducti sunt, lectiones theologicae interim in Seminario Dioecesano in domo Presbyterorum secularium Congregationis Miſsionis quotidie horis consuetis matutinis ab 8—12. pomeridianis a 2—4. traduntur:

Joannes Cantius Gornicki, Th. D. h. t. Fac. Theol. Univ. Crac. Decanus, Seminarii Dioecesani Rector.

Timotheus Raczyński, Vice-Rector, Profeſsor Theologiae moralis.

Stanislaus Pagaczewski, Profeſsor Theologiae pastoralis.

Josephus Bielecki, Profeſsor Historiae Eccles. et Theologiae Dogmaticae.

Adalbertus Galiński, Profeſsor Sacrae Scripturae.

ORDO JURIS-CONSULTORUM.

Adamus Krzyżanowski, J. U. D. h. t. Decanus P. P. O.

Hor. mat. 9—10 quotidie praeter diem Saturni exponet Jus Civile, provinciale et cambiale.

Valentinus Litwiński, J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. 5—6. diebus quinis per hebdomadem excepto die Saturni tradet Jus criminale per semestre brumale, Codicem judiciarium civilem per semestre aestivum.

Augustinus Boduszyński, J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. 4—5. quotidie quinis diebus excepto die Jovis Jus Romanum et Canonicum docebit.

Felix Słotwiński, Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—4. diebus quinis, excepto die Saturni, docebit Jus Naturae Universum, id est: publicum, civitatis et gentium per semestre hiemale, Scientias vero politicas, id est: Oeconomiam politicam, aerarialem et principia statisticae theoreticae et practicae binis quotidie horis mat. 10—11. pom. 3—4. exceptis festis per semestre aestivum.

ORDO MEDICORUM.

Franciscus Kostecki, P. P. Em. h. t. Decanus Fac. Medicae.

Hor. def, tradet duce Hufelando Macrobioticam.

Joannes Baptista Stumer, Med. Doct. P. P. O.

Hor. merid. 12—1. quotidie excepto die Saturni docebit Anatomiam et Physiologiam.

Ternis diebus per hebdomadem die Lunae, Mercurii et Veneris hor. pom. 3—4. de operationibus chirurgicis, instrumentis et fasciis dißeret.

Clinicen Chirurgicam et Artis Obstetriciae instituet quotidie ad lectos aegrorum hor. mat. 8—9.

Adalbertus Georgius Boduszyński, Med. Doct. P. P. O.

Ad Clinicen Medicam Auditores, quibus aditus ad lectos aegrorum jam competit, quotidie horis matutinis et pomeridianis instituet.

Horis pomeridianis 4—5. Therapiam generalem et specialem duce Joh. Petro Frank, Pathologiam duce Curt. Sprengel; Materiam Medicam ex propriis Schedis; Hygieinen et Methodum formulas concinnandi tradet.

Ignatius Jacobus Wozniakowski, Med. Doct. P. P. O.

Artem Obstetriciam, Morbos Foeminarum et Infantium explicabit hor. pom. 3—4. diebus Martis, Jovis et Saturni.

Medicinam legalem et Medicinae politiam et historiam profitebitur hor. pom. 5—6. diebus Lunae et Saturni.

Chirurgiam theoreticam docebit diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hor. pom. 5—6.

Josephus Sawiczewski, P. P. O.

Hor. pom. 1—2. Pharmaciam et Toxicologiam explicabit.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I.) FACULTATIS MATHEMATICAE.

Carolus Hube, Phil. D. Profeßor Mathes. sublim. h. t. Decanus Fac. math.

Hor. mat. 8—9. diebus Lunae, Mercurii et Veneris tradet Propaedeuti-

cam ad Mathesin sublimiorem, Algebram, Analysin indeterminatam et Trigonometriam.

Hor. mat. 9—10. expositis breviter praecipuis trigonometriae formulis docebit Theoriam linearum et superficierum curvarum; quotidie per semestre hiemale.

Iisdem horis per semestre aestivale calculum differentialem et integralem exponet ejusque applicationem ad physicam et mechanicam disciplinam ostendet.

Josephus Łęski, Phil. D. Astronomiae Professor.

Hor. pom. 1—3. diebus Lunae, Mercurii et Veneris tradet I) Astronomiam duce *Delambre Traité de l'Astronomie. Paris* 1814.

II) Artem delineandi mappas geographicas ad projectionem stereographicam.

Aloisius Oestreicher, Phil. et Med. Dr. Zoologiae et Botanices Professor.

Hor. pom. 2—3. quotidie exponet Zoologiam per semestre hiemale.

Hor. mat. 7—8. Botanicam tradet per semestre aestivum.

Hor. pom. 6—8. exercitationes Botanicas instituet, et Botanices applicatae praxin ostendet.

Josephus Markowski, Phil. et Med. D. Professor Chemiae.

Hor. mat. 11—12. quotidie Chemiam theoreticam et practicam cum experimentis exponet.

Romanus Markiewicz, Phil. D. Professor Physices.

Hor. pom. 3—4. diebus quinis per hebdomadem, die Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni tradet Physicae Theoriam, quam experimentis illustrabit.

Josephus Tomaszewski P. P.

Hor. mat. 10—11. quotidie excepto die Jovis docebit I) Mineralogiam. II) Geologiam.

Philippus Menciszewski P. P.

Hor. pom. 12—1. profitebitur Geometriam descriptivam per semestre hiemale.

Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivale.

II.) FACULTATIS LITERARIAE.

Georgius Samuel Bandtkie, Ph. D. Professor Bibliographiae, h. t. Decanus.

Hor. pom. 2—3. die Mercurii et Veneris, hor. mat. 8—9. die Saturni Bibliographiam profitebitur.

Hor. mat. 9—10. die Jovis et Saturni Numismaticam.

Collegium styli cultioris duce Beckio (*Artis latine scribendi praecepta. Lipsiae* 1801. 8vo) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet.

Julianus Czermiński, Phil. D. Professor Historiarum.

Hor. mat. 11—12. quotidie: I) ennarrabit Historiam antiquiorem et recentiorem. II) Geographiam physicam et politicam. III) docebit artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria.

Hor. definiend. instituet repetitiones traditarum disciplinarum historicarum per semestre aestivum.

Felix Jaroński, Th. et Phil. D. Philosophiae P. P. O.

Hor. mat. 9—10. quotidie docebit Logicam, Metaphysicam, Ethicam et Historiam Philosophiae.

Hor. pom. 2—3. die Saturni ducibus Quintiliano, Niemeiero et Włodek Polono Paedagogicam.

Quae hucusque privatim extra ordinem exercitia styli Latini cum quibusdam Auditoribus instituerat, ea semestri aestivo publica faciet.

Petrus Boucher, Canonicus Kielcensis, Phil. D. P. P.

Hor. pom. 2—3. die Martis et Jovis tradet praecepta linguae Gallicae, et docebit theoriam literarum elegantiorum ad normam Auctorum classicorum Nominis Gallici.

Extra ordinem profectiores in styli cultioris Gallici adyta more suo consueto et probato horis, quae Auditoribus congruent, introducet.

Hermannus Schugt, Phil. D. P. P.

Hor. mat. 10—11. quotidie explicabit Homeri Odysseam.

Hor. def. semestri aestivo tradet styli Graeci cultioris praecepta.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Crac. patebit hor. pom. 2—4. hiemali, hor. 3—5. aestivo semestri, diebus Lunae, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea et Hortos Botanicos invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici et Zoologici et Hortor. Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti curiosis hospitibus nunquam deerunt.